

PRÆFATIO.

Atque hujus Præceptivæ methodi partes rursus duæ videntur, alia quæ dat propria cuique monita, quemadmodum teste Seneca in jam adducta Epist. XCV. Brutus olim in eo libro, quem περί καθήκοντος inscripsit, præcepta dedit & parentibus, & liberis, & fratribus, ac recentioribus temporibus Justus Lipsius in Politicis Principem formavit: alia autem quæ hominem generaliter componit, docetque quomodo se gerere, & quo pacto officia, quæ ex communitate ducuntur, recte peragere debeat. Quam partem Philosophiæ etsi nonnulli rejecerint, nec illa certis præceptis instructa ad nos pervenerit, Panætius tamen & Posidonius, magni nominis viri, ut Seneca commemorat, excoluerunt. Quin constat etiam de ejusmodi præceptis ex Cicerone. Sunt, inquit ille Lib. III., Tusc. Quæst. certa quæ de paupertate, certa quæ de vita inhorata & ingloria dici soleant; separatim autem certæ scholæ sunt de exilio, de interitu patriæ, de debilitate, de cæcitate, & de omni casu, in quo nomen poni solet calamitatis. Quo de instituendi genere Gvilielmus Mechovius consulendus est, qui de Officiis ac Moribus hominum recta ratione ac lege naturæ formandis sex libros consignavit, in præfationeque de Parænetica tradendi ratione copiosius disseruit. Scilicet ut Dogmatica tractatio ad scholam, ita Parænetica seu Præceptiva Philosophia ad vitam magis accommodata est. Illa methodus Aristotelica dicitur, hanc autem qui proposuerunt vel antiqui sunt, vel recentiores. Antiquiorum aliqui sunt profani, aliqui sacri scriptores, quorum illi vel Poëtæ, vel Philosophi. Poëtæ, imprimis Græci, carmina sua moralibus sententiis haud raro interpolant. Philosophi autem vel per præcepta, ut Pythagoras, Socrates & Plato, vel per decreta & sententias, ut Stoici,